
Makowski Simonis Stanisl. Quaestio theologica de beatitudine formali.



IN NOMINE DOMINI, AMEN.

QVÆSTIO THEOLOGICA,

DE

Beatitudine Formali.

ex prima ſecundæ D. Thomæ.

A

M. SIMONE STANISLAO MAKOWSKI,

Sacræ Theologiæ Licentiato, Cuſtode Eccleſiæ Collegiatæ S. Floriani, Studij Vniuerſitatis Cracouien: RECTORE,

PRO

Doctoratu in Sacra Theologia,



publicè ad diſputandum

PROPOSITA.

In Lectorio Iagelloniano DD. Theologorum.

Anno à Natiuitate Domini M. DC. LXXXI. Menſe Octobri, Die 17 Horâ 20

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.

QVÆSTIO THEOLOGICA.

De Beatitudine Formali.

V. Beatitudo formalis eſſentialiter conſiſtens in viſione Diuinæ eſſentiæ, tàm ſecundùm rationem abſolutam, quàm ſecundùm relatiuam; non in omnibus iuſtis æqualis, ſemel habita ſit amiſsibilis, necne?

CONCLVSIO I.

Beatitudo formalis eſſentialiter conſiſtit in viſione Diuinæ eſſentiæ, tàm ſecundùm rationem abſolutam; quàm relatiuam.

COROLLARIA.

I. *Viſio, in qua conſiſtit beatitudo formalis, non ſolùm terminatur ad Diuinam eſſentiam, ſed etiam ad modum, quo ſubſiſtit in tribus Perſonis.*

II. *Neq; eſſentia Diuina ſine attributis, neq; attributa, aut eſſentia ſine Perſonis, neq; vna Perſona ſine alia, poteſt terminare viſionem beatificam.*

III. *Beatitudo hominis perfecta non conſiſtit in conſideratione ſcientiarum ſpeculatiuarum.*

IV. *Beatitudo tamen hominis imperfecta, id est, summa, quæ potest haberi in hac vita, consistit in consideratione scientiarum speculatiuarum*

V. *Beatitudo nostra formalis non consistit in cognitione substantiarum separatarum, seu Angelorum.*

CONCLVSIO II.

Iusti in gloria non sunt æquales, sed vnus alio beatior est.

COROLLARIA.

I. *Inæqualitas beatitudinum formalium, non consistit in inæqualitate proueniente ex gradibus specificis visionũ.*

II. *Inæqualitas, quæ in Beatis reperitur, non consistit in inæqualitate conditionũ, quæ sunt extra entitatem visionis.*

III. *Hæc inæqualitas non consistit in inæqualitate intensionis, tenentis se tantùm ex parte personæ magis, aut minus nitentis, neq; etiam consistit in inæqualitate extensionis respectu eorum, quæ sunt in Deo eminenter.*

IV. *Inæqualitas beatitudinis consistit in inæqualitate penetrationis Diuinæ essentiæ, quatenùs ex vi eius prouenit, quòd visio extendatur ad plures effectus Dei.*

V. *Hæc inæqualitas penetrationis Diuinæ essentiæ, ita est modus cognitionis, vt etiam sit modus obiecti, non quidem in genere rei, sed in genere obiecti, & secundùm denominationem extrinsecam.*

CONCLVSIO III.

Licet beatitudo formalis præcisè, quatenùs est visio Dei, neq; secundùm se, neq; ratione sui subiecti, habeat ex

propria natura, quòd ſemel habita non poſſit amitti: Beatitudo tamen perfecta, quæ poſt mortem electos Dei manet, quatenùs eſt beatitudo formalis, ſemel habita, eſt inamiſſibilis.

COROLLARIA.

I. *Beatus non poteſt ceſſare ab actu viſionis beatificæ, propter defectum potentiæ videndi: neq; pro ſuo arbitrio, aut voluntate.*

II. *Beatus ſuppoſita viſione beatifica, non poteſt ceſſare tàm ab amore beneuolentiæ, ſeu charitatis erga Deum; quàm ab amore concupiſcentiæ.*

III. *Beatus cognoſcit perpetuitatem viſionis beatificæ, quæ cognitio pertinet ad perfectionem ſtatus beatifici, vt eâ poſſit beatus gaudere, & de ſua perpetua, ac ſumma felicitate ſecurus eſſe.*

IV. *Beatitudo non ſola Dei voluntate, ſed ab intrinſeco, & per ſe, perpetua eſt.*

V. *Licet beatitudo de abſoluta potentia, poſſit à Deo corrumpi; non tamen habet in ſe aliquod principium, aut potentiam realem, vt à Deo deſtruatur.*





